

Zwei neue Murices

von

Dr. Wilh. Dunker.

Murex Gundlachi Dkr.

Tab. 1, Fig. 1. 2. Fig. 3. var.

Testa omnino alba subfusiformis, solidula, transversim lirata, per longitudinem plicato-costata, trivaricosa; varices crassi prominentes rotundati, spinis brevibus armati; anfractus 8—9 sutura conspicua divisi, ultimus, spira paene duplo longior, spinis duabus vel tribus squamisque nonnullis acutis instructus; apertura subrotunda; labrum crenatum intus leviter sulcatum: rostrum longiusculum subcurvum paululum ascendens; canalis angustus. Apex acutiusculus anfractibus constat duobus glaberrimis subvitreis.

Duo specimina exstant plane congruentia, prope Matanzas in insula Cuba tecta, alterum 52, alterum 45 mill. longum. Icon. nostra 3 varietatem refert spinis duabus in rostro insignem. Hanc speciem Murici trilineato Reevei affinem nullibi descriptam invenire potui. Dedicata est amico J. Gundlach indefesso rerum naturalium praesertim Cubensium scrutatori.

Murex serrato-spinosus Dkr.

Tab. 1, Fig. 4. 5.


Testa solida trivariam varicosa, albida fasciis latis flavescentibus in varicibus pallide ferrugineis lirisque corrugatis paene aequalibus cincta, per longitudinem

plicato-costata. Varices crassi rotundati antice squamis acutis serrato-spinosis nec non aculeo unico brevissimo armati, postice cavati subcanaliculati. Costae inter varices duo vel tres. Anfractus 8—9 sutura profunda separati, ultimus, rostro incluso, spira duplo abunde longior; labrum crenatum interne sulcatum; labium rugoso-plicatum; fauces lacteae laevissimae; rostrum longum subrectum per párum ascendens; canalis apertus angustus.

Haec species elegantissima 95 mill. longa ab omnibus Muricibus cognatis hodieque notis varicum formatione squamisque regularibus acutis, quibus instructi sunt varices satis differt.

Specimen quod adest unicum plane illaesum in insula Flores ortum esse dicitur.





1. 2. *Murex Gundlachi* Dkr. 3 *idem* var. 4. 5. *Murex serrato-*
spinosus Dkr.

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: [Malakozologische Blätter](#)

Jahr/Year: 1883

Band/Volume: [NF_6_1883](#)

Autor(en)/Author(s): Dunker Wilhelm (Guilielmus) Bernhard

Artikel/Article: [Zwei neue Murices. 35-36](#)